

# PALAESTRA LATINA

## SUMMARIUM

- |                                      |           |
|--------------------------------------|-----------|
| • Lectorum voces                     |           |
| Ad Lucretium III, 58 (Díels),        | ORTH      |
| Quid de morte senserint classici     |           |
| scriptores,                          | SARMIENTO |
| Commercium epistulare.               |           |
| • Nova et Vetera                     | MIR       |
| • Puerorum somnia                    | MIR       |
| • Iliadis I,                         | VÁZQUEZ   |
| • Societas et Commentarius Studiorum |           |
| Latinorum,                           | MOLINA    |
| • Ad Nemorensem lacum iter,          | AVENARIUS |
| • Bibliographia,                     | MAULEÓN   |
| • Compositiones vertendae.           | PLANAS    |

Ordinarii et Superiorum licentia



AN. XIX · N. 115

MM. MARTIO et APRILI

# Lectorum voces

*Altiora nonnulla testimonia quae vel nuper tributa vel nondum per PALAESTRAM LATINAM vulgata liceat nunc proferre. Atque imprimis eum audiamus qui supremum in Hispania litterarum scientiarumque cultum pridem moderatur.*

AA

Madrid, 16 de febrero de 1949

EL MINISTRO  
DE EDUCACION NACIONAL

R.P. José Jiménez Delgado,  
Misionero del Corazón de María  
Arzobispo P. Claret, 47

B A R C E L O N A

MI distinguido amigo:

Recibí oportunamente el volumen que me envió de "Palestra Latina", y no he querido contestarle antes porque deseaba leerlo con el detenimiento que tan interesante trabajo se merece. Hoy lo hago para darle mi enhorabuena cordialísima por tan importante tarea y decirle al propio tiempo que pueden Vds. contar con mi fervoroso aliento y con el apoyo que pueda prestarles en esa labor.

Atentamente le saluda su afectísimo

Firma: José Ibáñez Martín

L. ORTIZ, *Moderator Generalis Mediae Institutionis*: «D. Ginés de Albareda me entregó dos ejemplares de la revista PALAESTRA LATINA. Los he ojeado con todo interés y me apresuro a enviarle mi felicitación que ruego haga extensiva al P. Mir».

BOLETÍN DEL INSTITUTO CARO Y CUERVO, *Bogotá, 1947, pág., 351*: «Con esta publicación parecen sus editores dar nueva vida a un anhelo renacentista y estar demostrando como el latín, sin más esfuerzo, puede ser adaptable a cualquier ambiente moderno y servir de vehículo admirable para la difusión de temas de perenne actualidad».

P. CAYUELA, S. J., *in opere Humanidades Clásicas, 1940, p. 699*: PALAESTRA LATINA... En esta revista se publican artículos sobre cuestiones gramaticales latinas, orientadas hacia la práctica, aunque fundadas en rigurosa ciencia filológica; ejercicios prácticos, diálogos, temas de composición, enigmas, sentencias, trozos de traducción, poesías latinas, noticias del movimiento clasicista, bibliografía..., asuntos modernos los más diversos, como de la radio, bellas artes, de instrumentos músicos, de náutica, ajedrez, oficios y menesteres de la vida... En los centros donde se estudia práctica y humanísticamente el latín, está produciendo PALAESTRA frutos copiosísimos de formación y ayudando al renacimiento del clasicismo».



## LENGUA ESPAÑOLA

VOX. — Diccionario General Ilustrado de la Lengua Española. — Prólogo de R. Medéndez Pidal; revisión de S. Gili Gaya. — En tela, ptas. 125.

GILI GAYA. — Iniciación en la Historia Literaria Universal. — Ptas. 22.

## LENGUA LATINA

SPES. — Diccionario Ilustrado Latino-Español Español-Latino. — 2.<sup>a</sup> edic. revisada por V. García de Diego. — Ptas. 50.

SPES. — Diccionario abreviado Latino-Español Español-Latino, reducción del anterior para los primeros cursos del Bachillerato, 2.<sup>a</sup> edic. -- Ptas. 25.

ECHAURI. — Diccionario Manual Latino-Español Español-Latino. — 6.<sup>a</sup> edic. revisada por el autor. Ptas. 45.

Id. Lengua Latina (cursos 1.<sup>o</sup>-2.<sup>o</sup>-3.<sup>o</sup>). Ptas. 18.

Id. id. (cursos 4.<sup>o</sup>-5.<sup>o</sup>-6.<sup>o</sup>-7.<sup>o</sup>). Ptas. 25.

Id. Crestomatía Latina para los siete cursos del Bachillerato, Ptas. 20.

## LENGUA GRIEGA

PABON-ECHAURI. — Diccionario Griego-Español, 2.<sup>a</sup> edic. revisado por. José M. Pabón. — Ptas. 40

ROCA PUIG. — Textos y prácticas para todos los cursos de Griego.

---

Pedidos y detalles a

**EDITORIAL SPES**

Avenida Carlos I. 149 - BARCELONA - Telegr. EDISPES


Cum emitis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

**VINOS DE MISA**

**DE MULLER, S. A.**

**TARRAGONA**

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la  
Exposición Vaticana de 1888 (S. S. León XIII)  
Proveedores de Sus Santidades  
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

**Garantía de absoluta pureza**

**EXQUISITA CALIDAD**

Certificados del Excmo. Sr. Arzobispo de  
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

## Ad Lucretium III, 58 (Diels)

In libro tertio Lucretii, versus 58 (in fine) verbum «manare» exhibet, quod hoc loco sensu caret; ejus tamen recta scriptio nondum methodo et ratione detecta est. Ex sententiarum conexu hoc efficere possumus: homines ea, quae non sunt vera, dicere malunt et cum aequalibus colloquentes dissimulant; sed maximis vitae periculis oppressi veras voces ex imo pectore effundunt et personam fallacem abiciunt. Quibus propositis et expensis, sensus in versu 57 optime se habet: 57 *nam verae voces tum demum pectore ab imo*  
58 *eliciuntur*

Altera hujus versus pars ita scripta legitur: 58 *et eripitur persona manare*. Quod quidem «manare» perperam traditum est. Legatur oportet «mala ore». Versibus enim 57 et 58 inter se collatis, recta scriptio pro verbo «manare» erui potest; opponuntur enim «voces» et «persona»; illae voces ab imo pectore eliciuntur et persona solum de ore abici potest; ergo pro «-are» (in verbo «manare») «ore» sufficiendum est; nunc vero «man-» nihil aliud est nisi «mala»; nam sicut «verae voces ab imo pectore eliciuntur, ita persona «mala» de ore in maximo vitae periculo abicitur. «Mala» in v. 58 eandem vim habet ac «falsa, fallax, mendax»; illud enim constat homines non solum malam, sed etiam bonam personam habere. «Manare» igitur in duas partes dissolutum est, cujus prior «man-» in formam «mala» emendatur, altera vero «-are» in formam «ore» commutanda est, ut tandem recte «mala ore» legere possimus in v. 58: *et eripitur persona mala ore*.

Apud Lucretium saepius «ore» in clausula versus reperitur: I, 37, II, 399, IV, 548, 564, V, 1379.

Illa autem corrupta scriptio «manare» hoc modo mihi exorta videtur: primum scriptio continua exaratum erat «malaore»; deinde «manore»; postremum «manare» (=fluere) descriptum est.

Haud vero perite alii viri docti hunc locum emendare temptaverunt.

1. Ricardus Heinze (Kommentar zum 3 Buch des Lukrez) scripsit: «mala re». Sed ex parallelismo versuum 57 et 58 patet vocem «mala» cum «persona» jungendam esse propter «verae voces» et ad id. ut intellegamus in summis vitae periculis non bonam sed falsam et malam personam deponi; praeterea non «re» sed «ore» ex consequente «pectore» restituendum erat; si «mala re» solummodo «malum hominem» significarēt, non ad sensum hujus sententiae conveniret. ubi poeta dicere vult omnes homines, non solum malos personam malam abicere; nam etiam boni homines nonnunquam personam non veram (i. e.: malam) praebent.

2. Postea Hermannus Diels in editionem Lucretii inseruit hanc formam: «manet res»; quae conjectura veteris cujusdam humanistae item contra parallelismum versuum peccat sicut prior lectio Heinze et ignorat hominem internum et externum in summo periculo sese verum ostendere.

3. Postremo Wilhelmus Morel «minaci», immerito quidem proposuit. Lucretius autem non certum genus hominum violentorum sed omnes homines cujusvis generis in vv. 57 et 58 respexit; «minax» tamen est minima pars mortalium; praeterea palaeographia illam inscriptionem veri dissimillimam ostendit. Ergo ex dictis manifestissimam hanc conclusionem et lectionem eruamus oportet: «mala ore», ubi «mala» pertinet ad «persona» et «ore» ablativus separationis dependet a verbo «eripitur».

EMIL ORTH

## Quid de morte senserint classici scriptores (\*)

12. *Somnus mortis imago.* — Obversantium rerum, quasque oculis circumpicimus, lacrimae luctusque et plurima mortis imago sat nobis ostendunt illam non esse pertimescendam. Praeterquam quod, *morti nihil tam simile quam somnus*, dixit Cicero (1). Unde quidam cecinit:

*stulte, quid est somnus gelidae nisi mortis imago?*

Ad multam lucem stertere, diuturno vacare somno ac sempiternum illum pavescere, hominis sane non est diligentissimi, teste Seneca (2): *stultum est somno delectari, mortem horrere, cum somnus adsiduus sit mortis cogitatio*. Quid, quaeso, sibi velit quod hominibus saepenumero dum «altus sopor irrigat artus» (3) defatigatosque tenet

*dura quies et ferreus urget  
somnus: in aeternam clauduntur lumina noctem?*

Utrumque est, illud pro certo habeamus (4): *minus mortem timet qui minus deliciarum novit in vita*. Non secus philosophus cordubensis (5): *nihil aeque tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum quam frequens cogitatio brevis aevi et bujus incerti*.

13. *A malis nos abducit non a bonis.* — At terrere facit homines pavenda illa cogitatio (6):

*nox tibi longa manet nec reditura dies;  
eandem sententiam claudunt moestissimi versus (7)  
soles occidere ac redire possunt;  
nobis cum semel occidat brevis lux,  
nox est perpetua una dormienda.*

Eminentia et falsa et longe a veritate aliena. Hujus modi lugubris ac moeroris plena vox retunditur ac refellitur illa secundos rerum sperandarum eventus praesagiente (8):

*non omnis moriar; multaque pars mei  
vitabit Libitinam...*

Idcirco ea solummodo *terribilis est iis quorum cum vita omnia exstinguntur, non iis quorum laus emori non potest* (9).

Imprimis aeternam, quam depereunt homines, immortalitatem nanciscimur. Quod recte testatus est Propertius (10):

*majus ab exsequiis nomen in ora venit.*

Similiter Ennius ille censebat, ut scribit Cicero, lugendam non esse mortem quam immortalitas consequatur. Qua de causa (11)

(\*) Cfr. fasc. 112, p. 452.

1, *De sen.*, 22, 81. — 2, *De mor.*, 18. — 3, *Verg. Aen.*, III, 511; X, 7415. — 4, *PROP.*, III, 15, 24. — 5, *Veg. de re Mil.*, I, 3. — 6, *Epist.*, 25. — 7, *CAT.*, *Carm.*, V, 4. — 8, *HOR.*, *Carm.*, III, 30, 6. — 9, *CIC.*, *Parad.*, II, 18. — 10, *Eleg.*, I, 3. — 11, *OV.*, *Metam.*, III, 136.

•

*dicique beatus*

*ante obitum nemo supremaque funera debet.*

Deinde, *est finis miseriae in morte*, ut legere est apud Ciceronem (1); ipsa enim corpora aestu febribusque et afflictationibus desinunt jaetari morbisque ita relaxari et iniquae fortunae malis ut bene a Quintiliano scriptum sit (2): *mors malorum finis est*. Luculente inde a Juvenali id effici potuit (3):

*mors sola fatetur*

*quantula sint hominum corpuscula.*

Postremo, *nec saevitia ultra fata procedunt* (4). Livor enim tunc quiescit, defervet perimitque ira, convicia non laedunt amplius neque maledicta nocent: *tunc denique erimus beati, cum corporibus relietis cupiditatum et aemulationum erimus expertes* (5).

His ergo de causis, vivere an mori quid praestet ignoramus prorsus, romano oratore asserente (6): *utrum vivere an mori, sit melius, dii immortales sciunt; hominem quippe scire arbitror neminem*. Vitae limina relinquentes tunc denique quam scite locutus sit Cicero noster experiemur (7): *a malis nos mors abducit non a bonis*; «supremumque carpere iter parati» intellegemus maximum divini amoris esse argumentum quo cotiens obstupemus, quod adulescentes quasi ante tempus ex hoc vitae discrimine rapi e medioque tolli videantur: *quem di diligunt, adulescens moritur* (8).

Haec perpendens animoque volutans venientem hilaris mortem recipiet abs dubio laetabundis illis verbis (9):

*mori mihi munus erit.*

Hinc memorare juvat pulcherrima Senecae verba de laudibus mortis egregie praedicantis (10): «o ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inventum naturae laudatur exspectaturque, sive felicitatem includit, sive calamitatem repellit, sive satietatem ac lassitudinem senis terminat, sive juvenile aevum dum meliora sperantur in flore deducit, sive pueritiam ante duriores gradus revocat, omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita quam de iis, ad quos venit antequam invocaretur. Haec servitutum invito domino remittit; haec captivorum catenas levat; haec e carcere educit quos exire imperium impotens vetuerat; haec exulibus in patriam semper animum oculosque tendentibus ostendit nihil interesse, infra quos quis jaceat; haec, ubi res communes fortuna male divisit et aequo jure genitos alium alii donavit, exaequat omnia; haec est, postquam nihil quisquam alieno fecit arbitrio; haec est, in qua nemo humilitatem suam sensit; haec est, quae nulli non patuit; haec est, Marcia, quam pater tuus concupit; haec est, inquam, quae efficit, ut nasci non sit supplicium, quae efficit, ut non concidam adversus minas casuum, ut servare animum salvum ac potentem sui possim. Habeo quod appellem».

---

1, *Cons. ad Marc.*, XX, 1, 2, 3. — 2, *Tusc. Disp.*, I, 5, 9. — 3, *Decl.*, 12. — 4, *Sat.*, X, 172. — 5, *Quint. ib.*, 12. — 6, *Cic. Tusc.*, I, 19, 44. — 7, *O. c.*, I, 41, 99. — 8, *Tusc.*, I, 34. 82. — 9, *PLAUT.*, *Bacch.*, IV, 7. — 10, *OV.*, *Trist.*, I, *El.*, II, 52.

14. *Mors sibi non inferenda.* — Nihil minus tamen, nulli licuit mortem sua sponte arripere. Nihil est vitae periculosius uno gradu ad libertatem posse transire, ipso suadente ac repugnante Seneca, qui egregius vitiorum insectator cum fuisset, multae in eo sententiae probandae, multa morum gratia laudanda, sed in eloquendo corrupta pleraque atque eo perniciosissima quod abundant dulcibus vitiis, ut ait Quintilianus (1). En tibi ejusdem verba: *mutua accepimus, usus fructusque noster est cujus tempus ille arbiter muneris sui temperat* (2). Vitae solummodo tributa nobis atque concessa usura est. Mors in unius est creatoris potestate. Errant vehementerque errant qui falsa Ciceronis (3) probantes *mors servituti turpitudinique est anteponenda*, aut Taciti doctrinis plus aequo inhaerentes: *mors honesta turpi vita potior est*, sibi necem consciscere nefas non arbitrantur nec religioni habent.

Vitae iniquitates forti animo ferre romanum est, ut ajunt; virtus animi et elatio in adeundis periculis cernitur non in eis fugiendis. Qui ob patriam pugnando vulnera passi mortem oppetiere, illorum duntaxat mors est laudanda. Ideo merito de his scripsit Horatius (4):

*dulce et decorum est pro patria mori.*

15. *Praeparatio.* — *Nemo scit nostrum, quam prope versetur Deus*, adjicit Seneca (5). *Sic itaque formemus animum tanquam ad extremum ventum sit.* Platonis fuisse sententiam ferunt omnem sapientium vitam mortis esse commentationem; hoc ab adolescentia meditatatum vult Cicero; sine qua meditatione tranquillo esse animo quis non potest (6). Quae cum ita sint, divini poetae accipiamus monitum (7):

*omnem crede diem tibi diluxisse supremum;*

hac quidem ratione, si nobis insurgentes calamitates noverimus spernendas, si multorum, quibus premimur, malorum contumelias patienter duxerimus esse ferendas, illam discemus vitam, quae vera est vita nominanda, diligere et exoptare.

Ne nimium sermo protrahatur, liceat imposituri his finem Tullii verba proferre, christiano digna viro, de morte deque ad eam praeparatione disserentis (8): *quare hoc commentemur, mihi crede, disjungamusque nos a corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc et dum erimus in terris, erit illi caelesti vitae simile, et cum illuc ex vinculis feremur, minus tardabitur cursus animorum. Nam qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam cum soluti sunt, tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vinciti multos annos fuerunt. Quo cum venerimus, tum denique vivemus. Nam hac quidem vita mors est, quam lamentari possem, si liberet.*

16. *Conclusio.* — Ergo, quidquid aggrediamur, quidquid opere complere cogitemus, non excidat a corde, a mente non recedat illud Senecae (9):

*quidquid facies, respice ad mortem.*

RAYM. SARMIENTO, C. M. F.

Villae Rosarii, in Argentina.

1. *Ins. Orat.*, X, 1, 125, sq. — 2, *Cons. ad Marc.*, X, 2; cf. XX, 3. — 3, *Cic.*, *de flo.*, I, 23. 81; *Tac.*, *Hist.*, I, 21. — 4, *Carm.*, III, 2, 13; Cf. *VERG.*, *Aen.*, VI, 660. 5, *Ep.*, 12. — 6, *De Senect.*, XX, 74, — 7, *HOR.*, *Ep.*, I, 4, 13. — 8, *Tusc.*, *Disp.*, I, 31. 75; cf. I, 49. 118.



# Commercium epistulare

I. González, C. M. F., P. Josepho Mir, PALAESTRAE LATINAE Moderatori, s.

Faciendum mihi tandem putavi, ut latine pauca eaque tecum breviter colloquerer. Meam tu forsán mireris audaciam; post enim tot annorum in scribendo inertiam, quidnam earum antiquarum rerum aut in mente aut in calamo remaneat? Sed fortes, quod tu, fortuna juvat; mihiq̄ue nunc in mentem venit tacendi modum facere.

Tuas in primis satis liberales litteras, atque eas mihi jucundissimas, amo: me quasi in Thebaide commorantem salutaverunt. Quippe hodierna domus vera Thebais est, cum mira ipsius pacifica solitudine, tum calore peraestuanti; non autem inopia vegetationis circum. Ubivis campus, melius dicam, amoenissimum pluvia fere cottidiana irrigatum virectum: platani, pomarrosae, mala aurea, palmae, guadae, guamae, guajabae..., omne uno verbo genus fructus et flores et herbae.

At libri, amici illi jucundissimi, longissime absunt: memetque in bibliothecam, quod adeo fuit in votis, abdere jam non licet. Quid mihi faciendum? Illa subinde Ciceronis memoriae mussitant: «Nunc mihi nihil libri, nihil litterae, nihil doctrina prodest» (*Ad Attic.*, 9, 10). Veniamus vero in spem libentes: dies mederi solet etiam stultis.

Atque interea de leviusculis rebus, dummodo tuo id commodo fiat, verba ego faciam. Quid de PALAESTRA LATINA nostra? Duos a te superiores fasciculos accepi, tres post ipsorum menses per ampla marium peregrinationis. Non nullos ibi, etsi brevissimos, versus carissimi mihi condiscipuli P. Jiménez, legi. Io! mihi ea «aestiva» vere desideranda! Tuque etiam per Podium Ceretanum (lepidam urbem), nivitaha forsít recreatus et per Salmanticam, sapientium matrem et nutricem es commoratus. Gaudeo vos hercle cum primoribus latinitatis una conversari; oleae tum vobis exprimendae, nonne?

Quibus praeterea possum laudibus strenuam prosequor tuam operam, in hodierna nomenclatura sermoni latino aptanda. Asperum enimvero iter! Eo tamen ad hominum, vel potius ad astrorum famam progredieris. Istis ego fere supersedi. Hic, in America, jam anni cumulantur mei, ubi iis studiis, quae adhuc in corde sunt, incumbit nemo. Rerum etiam cursum, quidni?, sum persecutus; tu modo ipsius impetui vis occurrere. Sit bona pace; mihi aliqua erunt, cum eo qui conjunctissimus fuit usu amicitiae, retractanda: rariores, ut nunc est, sermocinationes; postea pleniore, Deo favente, erunt.

Denique affectus maxima, mihi crede, voluptate perlegi opusculi versionem «Livret explicatif des Tableaux Delmas», ad sermonem latinum methodo intuitiva addiscendum. Certo certius, oleum et operam non perdidisti; mea quidem et omnium, procul dubio, lectorum sententia opus in magno erit pretio: nae omnes plurimi facient; immo vero etiam te ad caelum tollent. Peruti-

lem istum librum bono te superasse omine, multum equidem laetor: ex sententia negotium confecisti. Jam ea exspectanda dies, qua prelo, sapientium jucunditatis gratia excudatur.

Perge porro, mi bone, enixiusque pro latinitatis cultu, quod adhuc fecisti, fac semper labores: et animo nunquam cadendum, et ad summa usque contendendum, et vel confecto aevo serviendum tibi constantiae tuae. Te tuaque nos, dissitis ex plagis, cum animo tum plausu comitamur; et sarciemus (rite auspicandum) longi temporis usuram. Deus nobis te in annos multos sospitet. Vale.

Sasaïmae, in Columbia, postridie idus februarias a. 1949.

*Josephus M. Mir, C. M. F., Rdo. P. Ildephonso González,  
socio desideratissimo, sal.*

O vere mirificum portentum!... Gaudeat, exsultet hodie PALAESTRA nostra LATINA; frater enim, quem pro latinis litteris mortuum arbitrabamur, nunc tandem, post tot annorum curriculum et seriem, redivivus exsurgit; peregrinus tantum erat..., in eoque latebat vera vita et amor sermonis latini apud illas dissitas Columbiae regiones. Sed peregrinus ille redit tandem in Latium suum et, quidni PALAESTRAE januam libentissime aperiamus summoque gaudio illum excipiamus, dum amicam vocem nobiscum loquentem, eaque orationis elegantia et venustate, qua olim, audimus?...

Tu enim et auctor et consiliarius et magister noster exstitisti olim et viam nobis stravisti cum eam PALAESTRAE LATINAE sectionem instituisti ubi, divini Magistri verba arripiens, tot *Nova et Vetera* de abscondito mentis tuae thesauro protulisti...

Litterae nostrae, o bone, et PALAESTRAE fasciculi tibi fuisse solacio et levamini et cum Zipaquirae commorabar et nunc Sasaïmae, pergratum mihi fuit. Ac dum otio tuo et quieti placide vacas et nostris, quos misimus, libris, ab illa totius sermonis latini nomenclatura conficienda et coaptanda operam, quam pollicitus est, ne, quaeso, intermiseris.,

Me magnum cecinisti, amice, et utinam tua laude dignus essem, quae et in te redundaret vel maxime qui, omnibus fere tunc destitutus libris, quos nunc habemus, tot protulisti verba sermonis latini a te primum, optimo magistro, excussa et novata.

Quam dulcis illa tua sententia in aures descendit: «Sarciemus longi temporis usuram»; omnia —tecumque, me sine, jocabo— omnia, mi bone sartor, praesto habeto: telam texendam «praegrandem» paratam habeo: forfices, ut vides, tui parum commode verba mea duriora scindent...; tela durior erit... Sed in praedura palaestra vegetiores fiunt animi et corpora laetiora. Vale.

Barbastro, pridie kal. martias, a. 1949.

# NOVA ET VETERA



PICTURA 21.<sup>a</sup>

Magnum receptaculum - Taberna universalis mercium - Crepundia

(sequitur)

9. — Quae omnia percommode contemplantur cum pauci in receptaculo essemus, aliquot tantum curiositate impulsus, draco<sup>48</sup> et ratiocinator,<sup>50</sup> qui arcae principi<sup>51</sup> sygrapham collybi certo die solvendam praebebat.

10. — Ex avo quaesivi ad quid inservirent illi praegrandes libri in forulis post rationum procuratricem suppositi, mihique respondit rationum esse libros.

11. — Cum a crepundiorum loculamento discederemus, ad officinam ephippiariam accessimus ut oculos in ephippia,<sup>53</sup> stapedes,<sup>54</sup> habenas,<sup>55</sup> frena,<sup>56</sup> flagellaque conjiceremus. Dum autem loculamenti praepositus<sup>57</sup> quaedam avo explicabat, porcellanarum et crystallorum<sup>58</sup> expositorium inspiciebam, ubi venusta acetabula erant et elegantes theariae.

12. — Ut in primam contignationem ascenderemus, transivimus post expositorium vitreum fasciarum pectoralium<sup>60</sup> — juxta scutularum officinam — ubi optima

feminalia <sup>63</sup> prostabant. Juxta, receptaculi curatrix <sup>61</sup> optima textilia serica <sup>64</sup> emptrici <sup>62</sup> eligenda praebebat. Dum autem scalas ascendimus, receptaculum laternis <sup>65</sup> decorari japonicis animadverti, umbellis <sup>66</sup> magnisque palmis <sup>70</sup>.

13. — In primo tabulato pauca erant inspicienda; supellestilia tantum, arcae nummariae, <sup>67</sup> armaria <sup>68</sup> currusque pueris vehendis. <sup>69</sup> Universa tamen receptaculi species gratissima erat.

14. — Ante pedes posita erant instrumenta musica: harpae, <sup>71</sup> fidulae hispanicae — Chitar[r]ae dictae <sup>72</sup> —, fidulae vellicatae, <sup>73</sup> tubae pistillatae, <sup>74</sup> tibiae clarisonae, <sup>75</sup> violinae cum arcu <sup>76</sup> et tympanum majus. <sup>77</sup> Longiuscule, in chartarum loculamento, scholaris de pretio chartularii cum praeposito <sup>79</sup> contendebat. Juxta eos, venustum litterarum ordinem <sup>80</sup> perspexi. In medio autem receptaculo procera Nativitatis arbor <sup>81</sup> eminebat, pirularum ornata, tricarum, crepundiorum omnis generis: equorum ligneorum <sup>82</sup> atque pupulorum. <sup>83</sup> Unguentaria <sup>84</sup> cum aquis dentifricis et variis unguentis, odorem, qui ad nos usque afflabatur, exspirabant.

15. — Cum tempus avo tardiusculum efflueret, per primarias scalas descendimus. Atque punctum temporis ante tabulam astronomicam <sup>85</sup> ille constitit, quae, ut mihi ipse significavit, repraesentat cometas (*a*), lunae solisque defectiones (*b*), ventorum indicem seu rosam cum quattuor caeli regionibus (*c*) (=septentrione, meridie, oriente, occidente), tabulam duarum hemisphaerarum (*d*), planetas (*e*), systema solare (*f*). Ex his nihil sane intellegebam mihi que potius juvabant schema segmentatum transeuntis cujusdam praepositi <sup>86</sup> et flabella, <sup>87</sup> quae juxta me erant prope nummorum sacculos <sup>88</sup> et pasceolos. <sup>89</sup>

16. — Pennas <sup>90</sup> quoque supra mensam inspiciebam, cingulorum fibulas, <sup>91</sup> flores ficticios <sup>94</sup> in canistris venuste collocatos. Violae, leucoia, hyacinthi, <sup>95</sup> gerania, <sup>96</sup> lilia, <sup>97</sup> tropaeola <sup>98</sup> eleganter erant imitata.

17. — Avum rogavi ut dentium peniculum <sup>92</sup> mihi emeret, in scrinio juxta acus comatorias <sup>93</sup> positum. Annuit ille, ipseque, ut emptionem meam solverem, accessi ad nummariam, juxta quam magna parabatur clienti <sup>99</sup> merces <sup>100</sup> expedienda.

18. — Subito inter viros ad artificiosa signa <sup>101</sup> aerea stantes turba facta est. Fur <sup>102</sup> ab inspectore <sup>103</sup> in manifesto furto erat deprehensus, dum hominem despoliare tentaverat. Hunc ut prehenderet, publicae securitatis custos arcessebatur, et sceleratus, cum exiremus, in praesidium perducebatur.

## VOCABULARIUM

49 +draco, onis, m., <i>dragón, dragon.</i>	foruli, orum, m. pl., <i>pegma, atis, n., estante, (anaquel), rayon.</i>
50 ratiocinator, oris, m., <i>cobrador, cajero, encaisseur.</i>	rationum procuratrix, <i>cajera, caissière.</i>
51 arca princeps, <i>caja principal, caisse principale.</i>	+loculamentum, i, n., <i>sección, rayon.</i>
+syngrapha collybi certo die solvenda, <i>letra, traite.</i>	officina ephippiaria, <i>guarnicioneria, sellerie.</i>
	53 ephippium, ii, n., <i>silla, selle.</i>

- conjicere oculos in, *char una ojeada*, jeter un cop d'oeil.
- 54 stapes, ēdis, m., *stapia*, ae, f., *estribo*, étrier.  
+porcellana, ae, f., *porcelana*, porcelaine.  
acetabula, orum, n pl., *vinagreras*, *angarillas*, saladiers.
- 59 \*thearia, +theae cucumula, *tetera*, thèière.  
+expositorium vitreum, *vitrina*, vitrine.
- 60 +fascia pectoralis, *corsé*, corset.  
scularum officina, of \*scutularia, *comercio de género de punto*, bonneterie.
- 63 feminalia, ium, femoralia, ium, n. pl., *calzonillos*, caleçons.
- 61 receptaculi curatrix, *empleada*, damoiselle de magasin.  
umbella, ae, f., *quitasol*, parasol.
- 67 arca nummaria, *caja de caudales*, coffre-fort.
- 68 +armarium, ii, n., *cómoda*, commode.
- 69 +currus pueris vehendis, *coche-cuna*; voiture d'enfants.
- 71 harpa, ae, f., *arpa*, arpe.
- 72 +fidula hispanica \*«chitar[r]a», *guitarra*, guitare.
- 73 +fidula vellicata, *bandurria*, mandoline.
- 74 +tuba \*pistillata, *cornetín*, cornet à piston.
- 75 +tibia clarisona, *clarinete*, clarinette.
- 76 \*violina, ae, f., *violín*, violon.
- 77 tympanum majus, taburcium, i, n., (DU CANGE), *tambor*, *bombo*, grosse caisse.  
+chartularium, ii, n., *carpeta*, serviette.
- 80 litterarum ordo, \*alphabetum, i, n., *abecedario*, *alfabeto*, alphabet.  
+pirula, ae, f., *bombilla*, bougie.  
tricae, arum, f. pl., *chubérias*, bibelot.
- 83 pupulus, i, m., *muñeca*, poupée.  
lunae solisque defectiones, *eclipse de luna y de sol*, éclipse de lune et soleil.  
+ventorum index (seu +rōsa), *rosa de los vientos*, rose des vents.  
caeli regiones, *puntos cardinales*, points cardinaux.  
septentrio, onis, m., *norte*, nord.  
meridies, ei, m., *sur*, sud.  
oriens, entis, m., *este*, est.  
occidens, entis, m., *oeste*, ouest.  
+hemisphaera, ae, f., *hemisferio*, hémisphère.  
+schema, atis, n., *librea*, livrée.
- 88 +nummorum sacculus, marsupium, ii. n., *monedero*, porte-monnaie.
- 89 +pasceolus, i, m., *cartera*, portefeuilles.
- 91 fibula, ae, f., *bebilla*, boucle.  
+fidicius 3, artificiosus 3, *artificial*, artificiel.  
leucoion -um, i, n., *alelí*, giroflée.
- 98 tropaeolum, i, n., *capuchina*, capucine.
- 92 dentium peniculus, *cepillo de dientes*, brosse à dents.  
+scrinium, ii, n., *aparador*, boîte.  
acus comatoria, crinalis, *borquilla*, épingle à cheveux.  
nummaria, ae, f., *caja*, caisse.  
+merces expedienda, mittenda, *expedición*, (*paquete preparado*), expédition.  
signum, i, n., effigies, ei, f., *estatua*, bronze.  
comprehendere in manifesto furto, *coger in fraganti (en burto)*, prendre en flagrant délit.  
+publicae securitatis custos, *policía*, police.  
praesidium, ii, n., *puesto de guardia*, poste.

## PUERORUM SOMNIA

Extremam tandem inspicio picturam, bellissimam sane! Quot ibi reulae quae mihi semper in deliciis fuerunt... Si mihi gravis esset aere manus aut reconditus in sinu nummorum sacculus... si dives essem... repositoria illa tam late et splendide micantia, universa emerem, et laetus ac gestiens domum redirem; o me tunc hominem fortunatum!...

Advenit tandem Regum Magorum festum quod adeo pueri amamus et ex-

spectamus; res illas totam noctem somniabo... et jam video Magos cum camelis appropinquantes, et, campum militarem figurarum theatrum, naumachiam, manuballistulam, instrumenta musica, grammophonum, diverticula cum leptidissimis illis sannione, macco, mimo, mihi afferentes...

O me fortunatum!... O puerorum somnia!...

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

# ILIADIS I

- Verum Talthibio sic imperat Euribataeque,*  
325 *qui sibi praecones aderant famulique sagaces:*  
*«Vos, ad Pelidae primum tentoria euntes,*  
*inde afferte manu mediam Briseida pulchram.*  
*Quam si non dederit, pergens cum pluribus illuc,*  
*vi rapiam: quod erit multo funestius illi!»...*
- 330 *Sic fatus, misit; nam verba minantia complet.*  
*Ast illi inviti resonantia litora lustrant,*  
*Myrmidonumque rates simul et tentoria tangunt.*  
*Heroa inveniunt nigranti in nave sedentem.*  
*Horum conspectu non est gavisus Achilles.*
- 335 *Ast illi, Regem nimio terrore tuentes,*  
*constiterant: abiit mens et vox faucibus haesit.*  
*Quodque animo reputans, hac voce profatur Achilles:*  
*«Este salutati, divumque hominumque ministri;*  
*praecones, properate domum; timor omnis abesto:*
- 340 *Causa mali siquidem non vos, sed Rex Agamemnon*  
*qui vos huc tantum misit Briseidos ergo.*  
*Vade, Jovis suboles, Patröcle, adductamque puellam*  
*his trade hospitibus. Sed eorum testor utrumque,*  
*coram terrigenis, Superis et rege cruento:*
- 345 *Si quis erit manibus nostris et viribus usus;*  
*si quando gentis cupiat prohibere ruinam!...*  
*At certe insanit, Furiis agitatus acerbis;*  
*nec videt acta prius, ventura nec inspicit unquam*  
*quominus incolumes pugnent danai illius ergo».*
- 350 *Sic ait; et Patröclus festinus oboedit amico;*  
*eque toro ductam, roseam Briseida tradit.*  
*Perque rates danaum praecones, munere functi,*  
*rursus iter peragunt, aegre comitante puella.*  
*At procul illacrimans solusque sedebat Achilles,*
- 355 *fluctus aspiciens spumanti e litore ponti...*  
*Multa rogat matrem tenditque ad sidera palmas:*  
*«O mater! quia me peperisti in perbreve tempus,*  
*me deberet, ait, laetis cumulare triumphis*  
*Juppiter omnipotens; sed non dignatur honore:*
- 360 *me siquidem opprobriis maculavit rex Agamemnon,*  
*nam munus retinet, quod perfidus obstulit ipse!»...*  
*Sic ait illacrimans; materque miserta dolentis,*  
*quae juxta patrem liquido residebat in antro.*

- Tum subito, nebulae similis, sese extulit undis,  
 365 ac prope lugentem natum consedit arena;  
 immiscensque manus manibus, sic voce locuta:  
 «Quid ploras imoque trahis de pectore questus?...  
 Eloquere; et causam pariter discamus oportet».  
 Multa gemens, pedibus velox affatur Aëhilles:  
 370 «Nosti ea. Quid rursus noscenti cuncta renarrem?...  
 Theben ingressi sumus, Eetionis in arcem;  
 igni vastandam, penitus spoliavimus urbem.  
 Cum partirentur danai spolia inde relata,  
 Atridae forma egregiam Chryseida donant.  
 375 At Chryses, ejus genitor Phoebique sacerdos,  
 in naves celeres danaum se contulit audax,  
 natam vestigans, immensaque munera portans,  
 vittis se longe —jaculantis Apollinis ornans,  
 sceptroque aurato; cunctosque orabat achaeos,  
 380 praecipue Atridas, populum dicione regentes.  
 Assensere omnes nutuque et murmure achaei,  
 atque sacerdotis suadent assumere munus.  
 Non animo tamen arrident Agamemnonis ista;  
 sed male dimisit, durissima verba locutus:  
 385 Iratusque senex, retulit vestigia, cujus  
 vota precesque pias pius exaudivit Apollo.  
 Post, ubi letiferum jaculum contorsit achaeis,  
 sternuntur densi populi; nam crebra sonabant  
 undique tela dei stipata per agmina grajum.  
 390 Utque aperit vates praesagus Apollinis iram;  
 esse dei numen placandum primus adhortor.  
 Tum vero Atrides surrexit, percitus ira,  
 sermonemque minans, qui nunc perfectus habetur.  
 Hanc ergo danai veloci in nave sagaces  
 395 ad Chrysen ducunt, portantes munera regi,  
 Sed mihi quam dono dederant Briseida achaei,  
 hanc duo praecones venere auferre puellam!...  
 Jam caelum, genetrix, ascende Jovemque precare;  
 si quod opus verbumque tuum succurrerit illi.  
 400 Dicere te solitam memini genitoris in arce,  
 unam, caelicolas inter, divosque deasque,  
 te Jovis excidium quondam repulisse nefandum,  
 cum vellent omnes illum constringere vinculis,  
 Juno, Neptunus simul et Tritonia Virgo.

Misaël VÁZQUEZ, S. J.

# Societas et Commentarius Studiorum Latinorum

(Société et Revue des Etudes Latines)

Qui in curriculum Philologiae inter hispanos et gallos Podii Ceretanorum superiore aestate habitum, fortunati convenerunt, clarissimi viri J. Marouzeau, Prof. Sorbonnensis nunquam jure meritoque obliviscentur. Cujus memoriam cum praesentem in mente habeamus, si inter PALAESTRAE lectores notitiam Societatis et Commentarii pro fovendis studiis latinis, — quarum et ipse Dnus. Marouzeau providens jam dudum Administrator et Moderator existit —, non suscitarem, incuriae quidem et negligentiae insimulari videremur.

Haec vero Societas et Commentarius Professoris Sorbonnensis auspicio, humaniorum litterarum cultum omnium laude apud gallos fovet. Nonnulla igitur de eorundem fine et institutis.

**SOCIETATIS FINIS:** Societas pro Studiis Latinis a. 1923 a Dno. J. Marouzeau condita, litterarum latinarum studiosos non modo gallos verum cujusvis etiam civitatis viros et plurimarum disciplinarum magistros, philologos, linguarum et litterarum et rerum gestarum et scientiarum auxiliarium cultores sociandi scopum atque propositum habet. Quare cum aliis societatibus et ephemeridibus gallicis et exteris Societas commercium inicit atque consortium.

**SOCIORUM CONSENSUS:** In hujusmodi sociorum coetibus plures — tum ad peculiarem disciplinam, tum ad communem studiorum utilitatem spectantes — agitantur quaestiones: uti opera quae in effectu sunt, vel ratio ac momentum cujusdam rei praesentis vel variarum disciplinarum progressus et concordia inter diversas gentes; doctrinae capita, investigandi genera et modi, necessitudinis inter scientiam et institutionem discrimen, res denique non solum ad investigatorum verum etiam ad alumnorum usum et proponuntur et exagitantur. Superiores vero coetus habentur

menstrui, praeter alias Societatis excursiones et consessus ad consuetudinem cum latini sermonis cultoribus ubique terrarum instituendam arctissimamque reddendam.

**COMMENTARIUS:** «*Revue des Études Latines*» — Societatis vox et index — quotannis prodit. En varia ejusdem capita:

a) De mensuris in primis coetibus rationes reddit, quae praeter auditorum indicem, ex Commentarii moderatoribus notanda vel cognoscenda affert: Cfr. ex. gr. p. 29, vol. XXV, ubi Dnus Marouzeau ad Batavos iter refert. Infra, breviter in notulis Sociorum lucubrationes complectuntur, interpositisque quae contra a praesentibus opportune dicta sunt aut notata.

b) De Societatis industria in agendo deque operibus nondum perfectis atque propositis evolvendis, «*Chronica*» sodales certiores facit.

c) *Notis et Communicationibus* quam brevissimae lucubratiunculae colliguntur, v. gr. «*Locus Orphetae*», «*Marica*», cet.

d) Sub *Studiorum et memoriarum* inscriptione seu titulo articuli penultimae (*de fondo*), tot suasionibus refert, bonarum artium investigatoribus et magistris utilissimae, varie ac copiose inseruntur. Cfr. superius volumen XXV «*Sallustius et Thucydides*», «*Cicero et gentis latinae humanus cultus*», «*Seneca, ex omni re, pejora interpretatus*», «*Praepositionis locus*»

e) De operibus quae Commentarii Moderatori dijudicanda mittuntur, *Sectionis criticae* iudicis mentem sententiamque prodit. Hae notulae criticae cum ad tot variasque res, ut linguarum scientiam et philologiam et litteras et textuum historiam et alia id genus pertineant atque ea subtilitate consiliorumque prudentia praecellant, latinitatis studiosis ad bibliothecam vel bibliographicum archivum adaugendum, non parvae utilitati erunt. MARIANUS MOLINA. C. M. F.



## Ad Nemorensem lacum iter

In statutis Curiae Romanae est ut, qui in ea exercent officium vel munus obeunt, intra julium et octobrem menses triginta dierum vacatione praestandae operae perfuantur, quibus ego intervallis annuis, annos belli si excipias, semel aut bis invisere solebam vicinos Urbi montes, quos reliquo anni tempore a fenestris nostris a spatio chilometrum triginta positos salutamus, modo irradiatos et propemodum inauratos solibus, modo nubibus et pluvia tristes. Ubi semel in illo suburbio incesseris sub caelo mire caeruleo purioremque ducens aëra pulmonibus, melancholicis certe postea ex urbis strepitu oculis petes illum Montem Algidum Rupemque Papae, Tusculum et eam urbem quae pro diruto Tusculo inter frutices aedificata est Frascati, Castellum Gandulphi, et Marini regionem et illa declivia celebria vino.

Itaque hoc anno (1948) tertio festorum paschalium die duobus comitatus fratribus post belli intervallum revisi Montem Cabum, unde tam mirus patet prospectus ut in amoenissimis orbis terrae panoramatis numeretur. Postremo autem vacationis die cum duobus fratribus ad Nemorensem lacum contendi. Hora circiter nona electivela urbe evecti per Albanum et Ariciam Gentianum venimus circumcirca bombarum damna et aedificiorum ruinas cum dolore conspicientes. Gentiani non diu morati viam cepimus ad eum locum aulamque, ubi antea levatae undis naves Caligulae condebantur. Nam acceperam eas naves igni combustas esse. Et hoc ipsum, a quonam essent combustae et quo eventu, volebam cognoscere diligentius.

Procul adspicientes aulam suo stantem loco vidimus; propinquantibus occurrit antiquus custos, quem intellexi eundem esse virum, qui ante annos sex vel septem nobis illic singula navium explicaverat. Is cum a nobis accepisset, cur venissemus, omnia ut gesta essent narrare coepit introducens interea nos in tam magnificum quondam theatrum aegreque retinens lacrimas. Et re quivera nemo eorum, quos complectitur animalis rationalis notio, nemo aliquo sensu praeditus historico, nemo unus eorum, qui aliquid judicare possit de studio antiquitatis, in illam tam magnificam aulam ingressus non ingemiscat amissionem irreparabilem illorum monumentorum rei navalis artisque romanae, non exhorrescat barbaram incultamque ferociam illius, qui non Italiam, sed genus humanum universum illis duabus navibus in perpetuum privavit.

Nam certissima semper manserat fama lacus Nemorensis undis obrui naves atque adeo ostendebatur locus, ubi a Caligula imperatore essent mersae post festa Dianae, cujus celebre non procul templum erat. Investigationes igitur peractae sunt primum anno 1446, rursus anno 1535, quo anno De Marchi, Bononiensis ingeniarius, aliqua submersoria machina, hodiernorum scaphandrorum simili usus. Diligentius etiam postea, anno 1895, inquisitum est ab Elisaeo Borghi, antiquario, qui extulit pulcherrima ornamenta aenea navium, sed tanto cum navium detrimento ipsarum, ut publica auctoritate opere prohi-

bendus esset. Postremo Benitus Mussolinius inter cetera archaeologica coepta mersas illas naves, pollicentibus quibusdam societatibus industrialibus opem, ad aëra levandas decrevit. Anno igitur 1928, restituto antiquissimo lacus emissario aptatoque commodius, quattuor electricis antliis aqua ejecta est, libra lacus continuo decrescente. Sic prior et vicinior ripae navis conspecta est. Ad altitudinem metrum 22 posterior navis, nullis antea tacta investigationibus reperta est, haec longa metra 71 lata metra 24; illius longitudo metrum erat 68, latitudo metrum 20.

Etsi tum non sunt recepta illa quae exspectabantur monumenta artis, tamen hoc sumus assecuti ut artem navalem romanorum positam ante oculos admiraremur. Non persequar hic singula, quoniam non naves Caligulae sed iter nostrum describo, illud unum dicam: nauticos anglos constructam a se a. 1852 ancoram pro re nova venditasse; ejusdem tamen formae, ejusdem artis ancora longa metra quattuor in una ex illis Caligulae navibus est inventa, ab romanis undeviginti saeculis ante excogitata.

Illae igitur duae naves ante duo annorum milia constructae, a Caligula mersae, ab antiquitatis cultoribus semper requisitae, a Mussolinio magno molimine levatae et in pulcherrima aula viridi strata marmore et tessellato pavimento, hoc miraculum gentium cultu et humanitate imbutarum, collocatum ad veterem cratera lacus Nemorensis, a quo situ actiones bellicae ipsa loci natura prohibentur, illaque aula, quae debombatis circum domibus quietorum civium tutissimum profugorum et vulneratorum hominum perfugium esse videbatur, ubi etiam erectis altaribus cotidie sacra christiana fiebant, unius Teutonico furore hominis deletae sunt.

Ego, inquit aedituus senex, cum me illo die, qui dies fuit a. d. V Kal. Jun. anni 1944, jussus a tribuno militum eodemque destructorum praefecto in propinquum recepissem antrum, illas naves benzino oleo perfusas incendit, quas ignis ita consumpsit, ut duo dumtaxat relinquerentur asseres non attingentes altitudinem hominis et pro musivo pavimento foedum mare tessellarum. Illas igitur ruinas contemplantes qui non possemus confirmare haec exempla barbariae esse, haec exempla esse illius vesanae obstinationis furorisque, quo tot antiqua et pretiosissima in ipsa Germania sacra profanaque monumenta totaeque urbes, milia aedificiorum victori veluti bombarum seges permissa sunt.

Sic certiores de funestissimo illo eventu bellico opinione omni tristiore ire pergentes in meridiana ripa lacus multa conspicamur areas olerum usque ad ipsam lacus marginem adductas, ubi antehac arborum rami ex aqua relucen-tes margini illi motum tribuebant vitamque. Tandem mihi diu cum quaesissem oculis, idoneum reperire contigit locum unde commodus pateret ad undas accessus, in quibus ego solo, nam socii non audebant, conceptam illis ruinis iram paulisper refrigeravi .

Sed quod tibi in mentem veniat et ipsum te in eas jactare undas, te facere veto, nisi probe natare didiceris. Tam enim praecipites sunt Albani et Nemo-

rensis lacuum ripae ut vel unum passum in aquam progressus non habeas ubi sistere detur. Neque tu a me speraveris auxilium, ubi plumbeus subsides fluctibus, cui satis sit semel expertum esse horrores amplexusque condiscipuli in natatoria, natandi ignarus temere cum diluisset in aquam neque suppositam pedibus cratem tetigisset; pereundum sibi ratus ad meum corpus auxilio properantis eo se amplexu applicuit, ut, nisi ipse nisus pedibus essem, pereundum ambobus esset.

. Post illam igitur balneariam moram ascendimus Gentianum, ubi ad vini calicem refocillabamus corpora eo quem in peris portabamus penu. Neque longa illa fuit in caupona sessio. Mens enim magis jam Albani quam Gentiani versari coeperat, quo paulo post electrivela pervenimus. Et, si per meridianum solem licuisset, ad illam aream penetrassem, quam antehac collegium Filiorum Cordis Mariae accupavit, quo nos tum temporis a duobus novis sacerdotibus nostratibus, Wember et Hagen nomina, ducti salutavimus illos patres. Sed sol me, ut dixi prohibuit illo cogere comites meos, et habui satis cathedrali loci ecclesiam quaerere illis diei horis clausam et satis bello foedatam. Tum viam S. Francisci rogo bis terve pueros obviam factos; malo omine Claretinorum ne recordationem quidem hominum ciere potui; sed ah —dicunt— Seminarii tu loqueris aedificium. —Id ipsum, inquam. Sic ad portam ventum. Occurrit vetulus egressus illo ostio quod ingredienti ad sinistram est, et prospiciens in eum locum conspicatusque prodeuntem vetulam et animantia cetera intellexi ilico quod etiam senex profari coepit: non istic jam religiosos esse neque Seminarii alumnos, illas aedes occupari ab infortunatis qui bello orbatu tecto essent. Neque erat etiam cur diu illic maneremus, retinendi diutius si in regione bellum nullum gestum fuisset.

Egressi illinc enititur declive illius viae jam villam petentes Gandulphianam Summi Pontificis. Debeone narrere, quam tristi animo egi illam viam confecerim illa recordatus quae decennio ante Albanum animo et memoriae meae impressisset? Ad illam portam tertio paschatis die anni 1939 a Sarmiento, tum clerico Claretino, salutatus sum et a duobus illis, quos duxi supra popularibus. Per illam sinistram portam ingressi et tum et postea ad adorationem Sacramenti sumus; illinc egressi postea conscendimus Montem Cabum. Nunc nemo eorum omnium in conspectum venit. Nam Sarmiento factus sacerdos in suam revertit Argentinam Rempublicam, doctor latinitatis; Wember et Hagen cum sacerdotio et ipsi ornati essent, ad exercitum vocati sunt vulneratorum curatores; in quo officio P. Wember immaturam invenit mortem, P. Hagen, quo ire et ad quid muneris ire sit iussus, a nullo accepi postea. En, inquam tacitus, sic ruit humana vita, sic volvitur temporum rota.

Melancholiae finem fecit superata viae proclivitas, et ad lacum Albanum despectus, et ille qui secutus est de lacu sermo, et reliquae adhuc uvae ex pera ad ora translatio. Praetergredimur rusticationem Collegii Urbani de industria vitantes notorum salutationes, nam erat hora fere post meridiem tertia,

et satis etiam contemplati villam pontificiam pedites contendimus ad civitatem Marinum forti celebrem vino, ubi nos non vino, sed prudenter binis lagunculis potionis limonatae collectam in via sitim eluimus. Electrivela reduces consuetaque hora cenatos placide nos frater mortis in horas octo suo accepit amplexu. Postridie ejus diei revisi plateam Hispaniae et immersus sum eo palatio dicionis Vaticanae ubi sedes est supremae administrationis rei missionariae Ecclesiae, delatusque ad veterem Remingtonianam meam machinam, me feriato, novo instructam cylindro

A. AVENARIUS, S. V. D.

Romae.

## BIBLIOGRAPHIA

L. ALONSO SCHOEKEL, S. J.— *Introducción a la Poesía Moderna, Antología y Crítica de de poetas castellanos del s. XX*. Sal Terrae, Santander, 1948.

Liber sine controversia et gratus est et utilis, et, cum parva profiteatur, magna re vera elargitur. Etenim, etsi nihil aliud utilitatis afferret quam adulescentulis nostris commonstrare quid in hodiernis vatibus hispanis appetendum, quid autem fugiendum, jam nobis ille summa laude prosequendus esset maximaque voluptate excipiendus.

Jam vero, id cum afferat, tunc etiam illud suavius ac utilius, quod lectorem tanquam in aliquam locupletem ac refertam pinacothecam introducit, ubi, tabulis propalam collocatis, vir valde spectandi cupidus illam copiam ornamentorum, quam constructam uno in loco vix aspexisset, in lucem prolatam videt et suo quidque in loco collocatum.

Percipient etiam lectores ex cognitione libri prudens illud christianumque iudicium quo ea poemata quae, propter eorum impudentiam, minus essent tironibus, quibus liber dicatur, consentanea, ab horum oculis arcentur, et, tanquam obscenae tabulae, intimo in angulo sponuntur.

Pauculae praeterea, sed eruditae, in genere singulorum notitiae traduntur, utpote quae magis ad viam alumni monstrandam accommodatae.

OLIVES SANTIAGO. — *Bergnes de las Casas, Helenista y Editor (1801-1879)*, Consejo Sup. de Invest. Cient., Escuela de Filología, Barcelona, 1947.

Doctor Olives, intellegens se juvenum studiis satis esse facturum si duces optimum eis commonstraret in humanioribus litteris comparandis, voluit ob oculos eorum imaginem ponere veteris illius magistri qui, centum abhinc annos, Barcinone graecarum litterarum curricula instituit; quarum studia cum per annos duo supra quadraginta vitae suae diligentissime profiteretur, tunc etiam operum plurimorum auctor, interpret, editor, typographus demum exstitit. Quae omnia ingenii sui finibus immensis paene cl. Antonium Bergnes de las Casas descripsisse, scriptor libelli confirmat.

Dr. Olives in partes quattuor opus suum dividit, quarum prima sobria, ut ita dicam, ubertate de vita viri pertractat, altera vero plenius de homine graecarum litterarum doctissimo percurrit; ut tertia de editore romanico (=romántico) disserat, et quarta luculentissimum operum a Bergnes editorum afferat elenchum. Ex hoc opere lector ediscet quibus quantisque terminis Bergnes disciplina circumscripta fuerit, qua ipse ratione in omni litterarum genere se imbuerit, quantam in excultos aetatis suae homines efficientiam habuerit, quantique tandem illius opes ac facultates litterariae nobis sint faciendae atque aestimandae.

EDITORIAL  
**GRÁFICAS CLARET**  
**TEXTOS PALAESTRA**

Preparados por PP. Misioneros del Corazón de María

1.º y 2.º Cursos:

Historiae Sacrae Compendium (3.ª edición) 6'00 ptas.
Epitome Historiae Graecae (4.ª edición) 8'00 »
C. Nepotis Vitae Excellentium Imperatorum (en prensa) »
Primer Curso de Lengua Latina 4'00 ptas.
Segundo Curso de Lengua Latina 6'00 ptas.
REPETITORIUM { en cartóné 12'00 ptas. { en tela 15'00 »

3.º y 4.º Cursos:

Ciceronis Epistulae Selectae 6'00 pts.
Caesaris de Bello Civili 8'00 pts..
Ciceronis in Catilinam (I.ª) 6'00 pts.
Ciceronis pro Archia poeta 6'00 pts.

5.º y 6.º Curso:

Sallustij de Catilinae Conjuracione 6'00 ptas.
Vergilii Aeneidos liber II 6'00 »
Horatii Carmina Selecta (en prensa)
T. Livii Historiae Selectae 8'00 »
De Orthographia Latina 6'00 ».

7.º Curso:

Prudentii Carmina Selecta (agotado)
Homeri Odyssea (canto 1.º) 6'00 pts.

Edición de sólo texto latino:

Ciceronis Epistulae 2'00 pts.
Ciceronis in Catilinam (I.ª) 2'00 »
Ciceronis pro Archia 2'00 »
Salusti de Catilinae Conju- ratione 3'00 pts.
Vergilii Aeneidos liber II 3'00 »
T. Livii Historiae Selectae 3'00 »

**NOVEDAD de "Textos Palaestra"**

**GRAMÁTICA GRIEGA**

La **Fonética** al servicio de una morfología más racional.

La **Fonética** al servicio de la pedagogía.

La **Sintaxis** desde el pensamiento griego.

La **Sintaxis** para el pensamiento griego.

**Obra** original de los profesores belgas

**Planque, Lerminiaux, &**

**Traducción** preparada por TEXTOS PALAESTRA

# CLÁSICOS "LABOR"

Esta Colección constituye el guía obligado en la lectura y estudio de los grandes clásicos de la Antigüedad y de las Literaturas modernas. Cada volumen contiene un estudio magistral acerca de uno de los grandes autores y una selección de los textos más bellos y representativos de sus obras, facilitando con oportunos comentarios la perfecta asimilación de su contenido ideológico y su plena fruición estética.

Volúmenes de 250 a 300 páginas, tamaño manual (11,5 x 17,5), encuadernados a la holandesa, con sobrecubierta a dos tintas y un retrato del autor estudiado, impreso sobre papel couché.

## VOLÚMENES PUBLICADOS

1. **HOMERO**, por J. M. PABÓN, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 28.—
2. **VIRGILIO**, por J. de ECHAVE-SUSTAETA, Catedrático de Lengua y Literatura latina. Ptas. 32.—
4. **BALTASAR GRACIÁN**, por J. GARCÍA LÓPEZ, Catedrático de Lengua y Literatura española. Ptas. 30.—
5. **SÉNECA**, por J. F. YELA, Catedrático de Filosofía en la Universidad Central. Ptas. 30.—
6. **DEMÓSTENES**, por M. FERNÁNDEZ GALIANO, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 32.—

NUEVOS TOMOS EN PRENSA Y EN PREPARACIÓN

## EDITORIAL LABOR, S. A.

MADRID: Alcalá 144

BARCELONA: Ronda Universidad, 23

# FOTOGRAFIADOS

# M. JOLANO

ARIBAU, 9, INTERIOR · TELEFONO, 30255

## BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

M.<sup>a</sup> DE LOS ANGELES G. MATA, M. M. DE BÉRRIZ. — «*Estilo*», Imprenta Industrial S. A., Bilbao, 1947.

Humanissimae hujus operis inventrici saepe numero cogitanti quam esset utile presse tradere doctrinam de scriptione perficienda usu visum est operae se pretium facturam si cottidianas commentationes, quas inter docendum habuisset, litteris typisque referret atque mandaret.

Optimum sane consilium plaudimus, et libellum summa venustate conscriptum atque exaratum laudamus et commendamus.

CAPELLO J. — *Sancti A. Augustini Confessionum* I. XIII, introductione et notis aucti, Marietti, Augustae Taurinorum, 1948.

Inter Sanctos Ecclesiae Patres nullus legitur jucundius quam divus A. Augustinus et inter ejus innumeros paene libros nullus animus pascit suavius quam Confessionum liber. Idque tam ob pleniorum illam D. Augustini in dicendo dignitatem atque dulcedinem contingit quam ob «interiorem veritatis melodiam quam Confessionum libri expriment», ut verbis utar concinnatoris hujus editionis. In qua ornanda haec fuit constans auctoris ratio ut, superioribus editionibus criticis penitus perspectis habitaque fide codicum potissimum, lectio illa deligeretur quae optima eorum condicione suffragaretur. In dubiis dijudicandis ad locos parallelos consultius recurritur, rhythmicque leges, quo divus Aug. solitus est uti. Novam hanc editionem in primis commendat elaborata introductio, ubi de Augustini vita, studiis litterarum, conversione mentis ad Deum, ac maxime de ipsis Confessionibus amplissime tractatur.

L'HEUREUX J., C. SS. R. — *Vocabulaire pratique latin-français*, Ed. Beuchemin, Mont-real, 1947.

Opus hoc et accurate elaboratum et solide constitutum, et auxilio futurum in edocenda latinitate censemus. Quam sit enim necesse ad mediocriter cujusque linguae, latinae maxime, cognitionem assequendam locuples vocabularium adhibere, si sentiunt qui in erudiendis adolescentulis curam operamque impendunt.

Exercenda tamen est memoria quam plurimis verbis ordinate distincteque ediscendis ne vagari mens et errare in inveniendis cogatur. Hoc viderat P. L'Heureux atque ita libellum digessit ut, quae verba necessitudine quadam conjuncta viderentur, ea sub uno conspectu et ordine poneret ac veluti in familias concinnaret. Libellum igitur adolescentuli avidè arripient et ediscant.

MARTINEZ DE BAROJA, T. — *El calagurritano poeta Aurelio Prudencio en el XVI Centenario de su nacimiento (348-1949)*. Estudios Riojanos, Ayuntamiento de Calahorra, 1948.

Omnis hujus opusculi disputatio versatur in eo, ut geminum textum, codicum nempe Albeldensis et Aemilianensis proferat et explicet. Optime re constituta ac breviter adversariorum propriaque sententia percurta facillime, juxta litteram codicum allatorum evincitur Prudentium calagurritanum esse nominandum. Nobis vero, etsi ista sint pergrata et perjucunda, perfectum tamen opus esse videbitur, si quis satis esset concitatus docta sane disputatione ad studium perspicuae statuendaeque rei veritatis. Ceterum intellego, si in haec quae patefecit A. dissertatione sua, intrare adversarii voluerint, facilius eos, ad ea quae cupimus omnes, esse perventuros.

I. MAULEÓN, C. M. F.

LALIBERTÉ, C. SS. R. — *Vocabulaire pratique Grec-Français*, 280 pag., Librairie Alphon-sienne, Ste. Anne de Beaupré, 1942.

Vocabularium habes pulchre ac nitide editum, quod 8.000 vocabula juxta stirpes cum derivatis ac praefixis ordinat, quibus ad calcem supponuntur alia 2.000, quae infecunda dixerim, vocabula, apud scriptores in scholis interpretatos communiora una cum loquendi rationibus usitatoribus. Praemittuntur opellae summa et moderata principia de compositione vocum et completur particularum tractatione et indice verborum irregularium. Opus discipulis, immo et magistris litterarum, maxime opportunum et, mea sententia, omnium simillimum, quae cognoverim, probatissimum.

A. PLANAS, C. M. F.

# Compositiones .vertendae

## LA CONSERVACIÓN DE LOS CADÁVERES ENTRE LOS ANTIGUOS

La conservación de los cadáveres ha sido en todo tiempo objeto de estudio principalmente (1) en los pueblos del antiguo continente (2). Durante algún tiempo se creía que los etíopes los habían conservado con vidrio; tan perfectamente (3) se distinguían la forma y los rasgos de los muertos a través de aquella especie de resina transparente con que los cubrían (4). Los persas sumergían los cadáveres en cera derretida. Los escitas los metían en sacos de piel, en los cuales se han encontrado intactos aun después de muchos siglos. Hasta (5) los griegos y romanos embalsamaron, en alguna época del imperio (6), los muertos, sirviéndose de los más raros y preciosos perfumes.

Pero por encima de los otros pueblos sobresalieron en este arte los egipcios. Herodoto y Diodoro describieron los varios y complicados (7) sistemas que seguían (8) estas gentes en la embalsamación (9); así el segundo indica al por menor la suma (10) que para clase se necesitaba. Los egipcios no sólo creían en la inmortalidad (11) del alma (12), sino que además estaban convencidos de que una parte del cadáver, menos densa que el resto del cuerpo, sobrevivía, para que el mismo cuerpo pudiese conservarse bien. Aquí tiene su origen el cuidado extraordinario con que supieron guardar (13) de la corrupción los cadáveres, de tal modo que (14) sus formas permanecieron inalteradas aún después de muchos miles de años.

NOTAS: 1. *maxime*. — 2. *orbis terrarum antiquus*. — 3. distinguiéndose así, perfectamente. — 4. *sternere*; es mejor volver la oración por pasiva. — 5. *etiam*. — 6. *tempora Caesariana*. — 7. *difficiles*. — 8. *uti*. — 9. úsese el verbal en *-ndus* en ablat. con *in*. — 10. cuánto dinero para... — 11. resuélvase por una oración en infin. — 12. plural. — 13. guardaron. — 14. *ita ut*.

### NUPER PRODIERUNT

#### «Textus Palaestrae»: Barcinone (Lauria, 5)

Horati Carmina Selecta . . . . .	V. Zuluaga, C. M. F.
Martialis Epigrammata . . . . .	R. Sarmiento, C. M. F.
Prudenti Carmina Selecta (2. <sup>a</sup> ed.) . . . . .	H. Martija, C. M. F.
C. Nepotis Vitae . . . . .	M. Ramos, C. M. F.

#### PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE:

15 pesetarum in Hispania et America. 17 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria 5, Apartado 1042, Barcelona  
Scripta ad moderatorem: Conde, 2: Barbastro (Huesca)

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.